

SPECIMEN CALVMNIARVM

atque heterodoxarum opinionum

Ex Remonſtrantium

APOLOGIA

excerptarum:

Inſtar prodromi ad præmonendos omnes veros Chriſtianos in lucem emiſſum,

PER

S. THEOLOGIÆ PROFESSORES
in Academia Leydenſi.



LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officinâ BONAVENTVRÆ & ABRAHAMI ELZEVIR. Academ. Typograph.
cIↄ Iↄ c XXX.



AD LECTOREM CHRISTIANVM.



HRISTIANE LECTOR, Iam quadriennium eſt & aliquanto amplius, quod S. Theologiæ Profeſſores Leydenſes, rogatu Synodorum Zuyd- & Nord-Hollandiæ, mandatoque Nob. & Potentium DD. Deputatorum Conſiliaorum ejuſdem Provinciæ, Cenſuram ſuam in Confeſſionem Remonſtrantium publicarunt. Adverſus quam nonnulli ex ſectæ iſtius Anteſignanis rolixam, prætumidamque Apologiam ediderunt, ylo, non minus aſpero, quam petulanti adornaam, qui tragicum potius hiſtrionem, quam Theoogum deceat: quemadmodum poſtea aliis forſan xcerptis à nobis plenius indicabitur, ut, quonam li agantur ſpiritu, omnes intelligant. In qua Apoogia, præterquam quod præcedentes ſuas aſſertioes tueri conantur, alia inſuper nova & peregrina ogmata proferunt, ad quæ aliquando, ſi Deus viam nobis conceſſerit, preſſius reſpondebimus. Veumenimvero, cum illud, tum ob ſcripti iſtius

 magni-

magnitudinem, tum ob multiplices nostri muneris occupationes, tam subito fieri nequeat, nos in præsentia, quædam tantum excerpta ex eo annotare consultum putavimus, ut hac nostra de ipsorum blasphemiis & absurdis doctrinis præmonitione ac cautione; veros Christianos doceremus, quousque hi mortales à vera fide defecerint, ac porro sint recessuri, si quo cœperunt pede, in ea prophetandi libertate, quam propriam sibi vendicant, in posterum progrediantur. Hæc enim sunt ipsorum verba in quodam libello, quem Belgice contra præfationem nostræ Censuræ stylo æque livido ac protervo evulgarunt, *Remonstrantes simul ac semel declarant, modum illum agendi, Hoc Socinianum est, Hoc Pelagianum est, &c. non majoris apud eos esse pretii, quam putridum mespilum. Talia ipsi derident, & populum docent ut hujusmodi agendi modum pro ludibrio habeat.* Fol. 14. Rursum, fol. 19, sic de suo Magistro Episcopio loquuntur, aut ipse de semetipso. *Recta sine retrorsum aliorum intuitu progrediebatur. Hominum nolebat esse mancipium. Calvinum, Bezam, Erasmum, lubens sequebatur; cum rationem ipsis præire animadvertebat. Ubi Socinus ipsi recte sentire videbatur, sententiam ejus probabat, ac vestigiis ejus insistebat. Turbæ suspiciosorum hominum garrulitatem contemnebat atque etiamnum contemnit. Perinde ipsi est à quocunque*

cunque verum discat. Qui ignarus vult permanere, is ignarus permaneat. Adamantem, ut adamantem, assumeret, quamvis illum in sterquilinio reperiret, & margaritam, etiamsi eam in concha inveniret, &c. Hæc illi. Quibus similia aut etiam arrogantiora extant in Apologia ipsorum pag. 11. B. *Tanti,* inquiunt, *est Remonstrantibus manifesta veritas, ut susque deque habeant sive Socini, sive Serveti, sive Arrij, sive Pelagii, sive alterius exosissimi hominis nomen præscribatur, aut genium aut spiritum ejus redolere dicatur, professi istiusmodi disputatores nauci non facere &c.* Vide reliqua, & alia illis conformia pag. 19. & 20. ejusdem Apologiæ. Præcedentia itaque prioris ac melioris Christianismi adversus Socinianos judicia, non sunt in majore apud ipsos pretio, quam putridum mespilum. Nulla consensus Ecclesiarum Reformatarum ratio, quarum tamen membra semper esse voluerunt, apud eos amplius habetur. Illi, scilicet, jam soli existunt, qui adamantes ex omnium sectarum sterquiliniis, & margaritas ex quarumlibet opinionum conchis colligunt. Cuidam sectæ Anabaptisticæ nomen est *Currui stercorario*, quia ex variis Anabaptistarum sectis constructa est. Tales hi sunt inter omnes Christianos, homines sane arrogantes, sibique mirum in modum placentes, ne graviora de ipsis proloquamur. Ipsi interim apud se cogitent,

 Deum

Deum ſuperbis reſiſtere, humilibus vero ſuam gratiam largiri. Quales autem illi margaritas ex Pelagianorum conchis, & quales adamantes ex Socinianorum ſterquiliniis collegerint, hæc pauca excerpta ex parte exhibebunt. Alios ipſorum abuſus, inauditaſque quamplurimorum ſacræ Scripturæ locorum detorſiones, ſperamus nos cuilibet Chriſtiano poſtea detecturos, ſimulque oſtenſuros quo loco malagmata ipſorum haberi debeant, quæ noſtris Collectaneis, prius quam ea conſpexiſſent, per ſuas ad primarios viros & Magnates epiſtolas ac declarationes imponere conati ſunt. Proteſtationes & conteſtationes quæ factis repugnant, apud ſinceros Chriſtianos nullius ponderis momentique ſunt. Vnum præterea conſiderandum eſt, cur hæc noſtra excerpta cum aliis quoque communicanda eſſe cenſuerimus, quia ſcilicet, nonnulli in hiſce noſtris Provinciis reperiuntur, qui Paſtores Remonſtrantes inter nos tolerari, aptaque ad illos nobiſcum conciliandos media etiamnum excogitari poſſe exiſtimant. Nobis profecto nihil quidem gratius foret, quam ut illud effici poſſet: Sed quicunque hæc noſtra excerpta animo oculoque Chriſtiano intuebitur, is ſtatim id fieri non poſſe, omnemque ejus ſpem hac Remonſtrantium Apologia omnino ab illis ipſis præſcindi facile animadvertet

vertet: non ſolum, quia eodem adhuc arrogantiæ ſpiritu inflati permanent, atque in ſuis cavillis convitiiſque perſeverant, indieſque à Religione reformata, quam antea nobiſcum profeſſi fuerunt, longius recedunt, eamque horrendis ſuis atque iniquiſſimis blaſphemiis onerare omni opere adnituntur: verum etiam quia ipſimet adeo ſe nobis produnt, ut confiteantur ſe cum omnibus aliis ſectis, (iis tantummodo exceptis quæ idololatriam atque impietatem propugnant) imo cum ipſis quoque Socinianis (quos totus Chriſtianiſmus ut teterrimam ſectam abominatur) poſſe communionem habere: Sed nullam cum Eccleſiis noſtris Reformatis, quamdiu hæ in recepta ſua doctrina perſiſtere decreverint. Quid? quod jam quoque fidei ſuæ conſortes penitus condemnent, qui ſe Eccleſiarum noſtrarum Reformatarum doctrinæ non totis viribus opponunt, eique non reclamant, quique à nobis, qui eam profitemur, non longiſſime & citiſſime recedunt, ſed inter nos manentes ab acerba noſtrorum inſectatione ſe continent: Imo tales ſervari non poſſe, præmioque vitæ melioris poſthac indignos fore audacter pronunciant, ſicuti ex prima excerptorum noſtrorum parte liquido apparet. Eouſque nunc progreditur mutua illa Remonſtrantium, quam antea tantopere urſerant,

ſerant, tolerantia. Noſtras vero Eccleſias quod attinet, illæ ſuæ quam profitentur doctrinæ conſtanter debent adhærere, eique tamdiu, adſpirante Dei gratia, adhærebunt, quamdiu ab aliis Eccleſiis reformatis & orthodoxis, atque inprimis à perſpicuo & puro Dei verbo divortium facere nefas duxerint. Blaſphemæ conſequentiæ quibus ſuás aſſertiones fulciunt, noſtramque de æterna Dei electione doctrinam in his quoque excerptis gravare non dubitant, à nobis jam ſæpe refutatæ fuerunt, eæque ſemetipſæ apud omnium æquorum Chriſtianorum animos jamdudum refutarunt. Nullam enim electionem ad vitam æternam ſtatuimus, præter illam qua ad eandem vitam per fidei obedientiam & ſtudium pietatis deducimur. Deus ſiquidem nullum ad vitam æternam elegit, quem non ſimul ad ſanctitatem & juſtitiam elegerit, ut Apoſtolus ea de re loquitur, Rom. 8. v. 29. *Quos Deus* (inquit) *prænovit, eos quoque imagini ſui Filii conformandos prædeſtinavit.* Et Epheſ. 1. v. 4. *Sicut elegit nos in ipſo ante jactum mundi fundamentum, ut ſimus ſancti & inculpati coram ipſo in charitate.* Tantum igitur abeſt, ut electio, prout à nobis ex ſacra Scriptura docetur, ipſam pietatem enervet, ut nulla è contrario pietas abſque iſtiuſmodi electione atque efficaci Dei operatione illam

con-

conſequente in mundo exiſtat, aut unquam reperiri poſſit. Vnde idem Apoſtolus, Rom. 11. v. 7. Electi aſſequuti ſunt, reliqui vero occalluerunt. Quod, ab Apoſtorum temporibus, primarii quoque atque eximii ejuſdem doctrinæ aſſertores, inſigneſque ipſorum Eccleſiæ, non tantum ſolidis argumentis, ſed morum quoque integritate ac ſanctimonia, omnium piorum judicio, abunde comprobarunt. Nos vero cum B. Auguſtino ab ea ſemper parte ſtabimus, non quæ debiliſſima eſt, id eſt, liberi noſtri arbitrii, ſed ab ea quæ eſt firmiſſima, nempe, Divinæ gratiæ, cui ſoli confidere poſſumus ac debemus. De reliquo, perſuaſum habemus, Deum judicia ſua contra quoſcunque facile lefenſurum, tametſi eorum rationes ſemper capere nequeamus. Quocirca toto pectore in eo acquieſcimus, in quo Paulus Apoſtolus ſecure acquievit; O profundas divitias, tum ſapientiæ, tum ognitionis Dei! quam inſcrutabilia ſunt ejus juicia & viæ ejus imperveſtigabiles! Quis enim ognovit mentem Domini? aut quis ei fuit à conlio? Aut quis prior dedit ei & reddetur ei? am ex eo, & per eum & in ipſum ſunt omnia. ſi ſit gloria in ecula. Amen. Interea Dominum eum noſtrum precabimur, ut gratia ſua meliom mentem ac ſententiam parti noſtræ adverſæ

largiatur, ipſamque hac ratione ad veram nobiſcum pacem, fideique in Ieſu Chriſto unitatem reducat.



CATA



CATALOGVS PRIMVS,
seu Specimen
CALVMNIARVM
atque heterodoxarum opinionum

Ex Remonstrantium

APOLOGIA

Excerptarum, & cum libello cui Titulus est, de Pace & Concordia Ecclesiæ, collatarum.



DITVM est (ut fert quidem prima libelli facies) anno 1628, scriptum sub specioso titulo *de Ecclesiæ pace,* quod dissemi-nari cœpit non ita pridem variis exemplaribus Amsterodamo huc illucque allatis. In illo libello, hæc duo passim inculcantur.

I. Errantes omnes *in Christianismo* (exceptis idololatris & impietatem professis) *posse Deum & Christum ad salutem amare,* cap. 3. & 4. Errantes illos non carere obedienia, nec esse incredulos. cap. 5. Inter pauca ad salutem sciu necessaria & simplicissima, omnibusque simplicissimis ognitu facilia, *dogma vulgatum de Trinitate, non esse.* cap. 6.

Socinianos non ſentire quæ ſentiunt, ambitionis, avaritiæ, voluptatum, aut ſuperſtitionis gratia, nec ulla malitia, ſed nudæ ſalutis ſuæ cura. cap. 8.

II. Ex opinione Eccleſiarum noſtrarum de Prædeſtinatione, *plures & magis pudendos errores erui, quam ex libris Socinianorum. Contumelioſius eſſe Deum inducere punientem homines, quod ea non fecerint, quæ ejus ipſius opera ipſis factu ſunt impoßibilia* &c. (quæ illi calumnioſe affingunt Orthodoxis) *quam Deum tam in perſona quam in eſſentia unum conſtituere.* Vbi poſt multas calumnias atrociſſimas concludit, *Profecto, ſi rem penitius introſpiciamus, Socinianorum de Sancta Trinitate doctrina, non tam ſua natura prava atque impia, quam imperfecta & mutila cenſenda eſt. At hoc de Fatali ſingulorum prædeſtinatione dogma, non defectu aliquo, ſed manifeſta pravitate laborat.* cap. 10.

Quia autem libellus ille, etſi ab eo ſcriptus ſit, qui maniſeſtiſſime demonſtrat reipſa, ſe cum Remonſtrantibus ſentire, Anonymi autoris titulo prodiit, ideoque poſſet in dubium vocari, & negari aut abjici à Remonſtrantibus tanquam fœtus alienus; cumque illi anno 1629 ediderint & Dominis delegatis Ill. D D. Ordinum inſcripſerint, ſuum examen ad Cenſuram Profeſſorum Leydenſium, in qua eadem dicunt, & ſæpe atrocius ac immodeſtius, hîc è multis pauca delibabimus, quæ cum libello illo collata, ad illa eadem duo capita revocabimus.

Ad primum, *Errantes omnes, poſſe Deum & Chriſtum amare, non carere obedientia nec eſſe incredulos*, pertinent ſequentia, fol. 19. pag. a & b. *Hæc eſt gloria Societatis Remonſtrantium, hac teſſera diſcriminari gaudent, à cæteris omnibus ſectis inprimis iſtis, ubi pene omnia licent, præter diſſentire: Hic limes hic terminus eorum eſt: Neminem pium à ſe excludere, nec profanum admittere, diſſentientes omnes ferre atque amplecti. Deus illis hunc terminum figit, eum refigere in gratiam cujuſquam ne*

debem

debent, nec volunt. Addunt, *Quos Deus cœlo ac throno ſuo glorioſo dignatur, eos cur illi non dignentur ſocietate ſua? Quos ille non excludit domo ſua, cur illi eos excludant cœtu ſuo?* Dixerat autor libelli *de pace Eccleſiæ* pag. 73, *Neque vero quos Deus in æternæ beatitudinis conſortium recepturus eſt, eorum communionem repudiare aut aſpernari poſſumus: nec licet eos in terris odiſſe, quibus in cœlo æternus amor debetur.* Quæ ab eodem ſpiritu efflata eſſe videre facile eſt. Pergunt: *Diſſentientes aut errantes à ſe ſeparare, aut ſe ab illis ſegregare nuſpiam mandatum ſibi legunt. Nec referre putant Remonſtrantes,* IN QVOCVNQVE *dogmate ſit diſſenſio, dummodo dogma iſtud Deum & pietatem non lædat, & qui iſtud profitetur, pacem cum diſſentientibus colere, ex animo paratus ſit.* Dixerant paulo ante, *propter meras opiniones, quibus nulla ſuperſtitio, nulla idololatria, nulla impietas cohæret, hoſtiliter in partes ire, pro nudis meriſque ſectarum quarundam placitis pugnare, non aliter, quam pro vero ac puro Dei cultu, id vero probroſum Chriſtiano nomini putant.* Hæc illi, qui in eadem præfatione agnoſcunt & probant librum editum contra N. Bodecherum fol. 2. ex quo Profeſſores Leydenſes in ſua Cenſura eis objecerant hæc verba reperiri, *Eum qui in errore verſatur,* QVICVNQVE DEMVM IS SIT (quæ verba ad errorem referri debent, ut ipſi explicant his verbis, QVI RELIGIONEM QVOMODOCVNQVE CONCERNAT) eſſe tamen poſſe *pium & innocentem, & primis Chriſti ſervum.* His conſentientia & paria reperiunt folio ſupra notato, pag. b, *Certa res eſt, omnes & ſolos pios ac fideles Dei cultores, omnes pacificos Chriſti filii ſui imitatores, Deum cœlo & domo ſua dignari velle.* Tales autem ipſis ſunt, etiam qui in errore verſantur, quicunque demum is ſit error. De quibus dicebant, *Hinc neminem ſic à ſe diſſentientem aut fugiunt, aut fugant, ſi modo pie in Chriſto & pacifice cum ipſis velit vivere.* fol. 19. p. a. *Non ſe deſperare quin futuri ſint* PII & PROBI INTER OMNES SECTAS, *qui non ſint*

 impro-

improbaturi consilium eorum. fol. 20. p. a. Qua porta nullus est, qui non videat, quemlibet sectarium qualem antea descripserunt, etiam Socinianum, Remonstrantium cœtus ingredi posse, & in communionem eorum recipi.

Quod autem in primo Articulo ex libello anonymo dicitur *de vulgato Trinitatis dogmate*, *non necessario ad salutem* Remonstrantes, ad cap. 3. fol. 53. pag. a & b, cum eis objectum fuisset à Professoribus Leydensibus, cur cum agerent de dogmate Prædestinationis, ex sententia Synod Dordracenæ, non modo κατ' ἀνάθεσιν rejicerent *doctrinan Ecclesiarum Reformatarum*, *sed eam quoque* impietatis ac blas phemiæ condemnarent: agentes autem de Trinitate, nul lum contrarium dogma improbarent, damnarent, au anathemate percuterent, pag. Cens. 57. respondent, *se i istud facerent gravissimas habuisse causas scilicet ut dogma de Pr stinatione ita perstringerent*; inter quas, quod dicant Patron illius sententiæ, Professores Remonstrantes non solum e autorasse, proscripsisse, incarcerasse; sed etiam *enecasse*, *quantum in ipsis fuit, ad sanguinem usque crudelitatis omni gen re persecutos fuisse*. (de quo viderint quibus datum est in h Provinciis jus gladii, an his accusationibus sint consensur *Ideo*, dicunt, *se debuisse sententiam illam suis coloribus ad vivu depingere, idque eo magis quod eam prout jacet pestem credant venenum Religionis omnis, cum qua forte hæresis nulla alia co parari mereatur*. Ad objectionem de non notatis similit erroribus circa doctrinam de Deo & Sacrosancta Trinit te, respondent, *Hoc ut facerent, id est, ut hæreses ubique omn & nominatim quæ circa hoc caput sunt, anathemate damnaren causas non habebant satis graves &c. Stabat jam animo Remo strantium hæc sententia, Nulli doctrinæ, nulli homini anathe dicere nisi cui Deus Anathema dicit, vel expressis verbis, vel ut per consequentiam omni exceptione majorem, & cuivis obvi id Deum dicere colligi possit*. Quænam autem illa doctrin

atq

atque illi sint, quibus neque Deus anathema dicit, ac proinde & ipsi anathema dicere detrectant, mox declarant, Sociniana scilicet & Socinianorum, hisque similium; ut quos ab ipsorum doctrina, tanquam intra metas necessariæ ad salutem professionis consistente, ita describunt. *Deum,* inquiunt, *non reperiunt anathema dicere, altero horum modorum, iis qui unum Deum in filio ejus unigenito Iesu Christo pie colendum esse, & Spiritum Sanctum ab utroque procedere ex animo credunt, vitamque suam ex præscripto Evangelii sic instituunt ut Patrem in Filio ejus colant, & ab utroque Spiritus S. gratiam sanctis piisque precibus ambire studeant, etiamsi si forte non intelligant quod Filius ab æterno ex Patris essentia per intellectionem sit genitus, aut quod Spiritus S. per voluntatem ex Patre & Filio, seu à Patre per Filium emanet, aut alioquin de persona Filii & Spir. S. perperam sentiant: aut denique An Pater, Filius & Spir. S. sint personæ inter se distinctæ realiter, an formaliter, an ratione, & quæ sunt circa illud caput quæstiones infinitæ, non percipiant.* Orthodoxa prima fronte videri posset hæc quam hîc exponũt de SS. Trinitate sententia: sed revera mera latebra est, sub qua impia sententia verborum involucris tegitur, & cothurnus omni illorum pedi aptus. Quem etiam Remonstrantibus consuit Author libelli de pace Ecclesiæ, cujus vestigiis tam presse insistunt, ut non sensus modo, sed & passim verba eadem, idque totis & integris periodis in utrisque reperiantur. Similia ergo ille de Socinianorum sententia habet libelli pag. 43. *Non de Trinitate quæstio est quam omnes confitentur & adorant, etiam qui Samosatenianorum* (seu Socinianorum) *nomine male audiunt, sed de personarum & essentiarum discrimine, de communicatione idiomatum, de mysteriis quæ nemo unquam satis vidit nec satis percepit, disputatio est.* Et pag. 65. ejusdem libelli *Credunt* (Sociniani) *se ex mandato Christi baptizandos esse in nomine Patris, Filii & Spir. S. credunt tribus illis in cœlo sacrosanctis testibus, Patri, Verbo, &*

Spir.

Spir. S. Agnoſcunt in principio fuiſſe λόγον, & hunc λόγον Deum agnoſcunt: cui tamen data ſit poteſtas in cælo & in terra, ut ipſe de ſe dicit, &c. Arduas illas & ſubtiles de eſſentia atque hypoſtaſi, de communicatione idiomatum, deque cæteris id genus opiniones aut non intelligunt, aut ſimplici Verbo Dei repugnare exiſtimant. & mox: *Ac in Patris quidem cognitione nobiſcum* (Sociniani) *concordant, Filium quoque divino cultu adorant & venerantur velut ſalutis ſuæ autorem & ſequeſtrem, hæredem ac Dominũ univerſi, & militiæ noſtræ ſupremum Imperatorem: Spir. Sanctum autem quantum honorent argumento eſt quod illum à ſummo Patre vix diſtinguant.* Ac demum concludit, *Abunde patere errores hujuſmodi*, ſcilicet Socinianorum, *nec fidem noſtram nec ſalutem neceſſario tollere*, &c. Hæc quidem ille: in verborum integumentis, non in ſenſibus veritatem & conſenſum quærens, & hujus ſalutaris dogmatis de SS. Trinitatis myſterio neceſſitatem eo ipſo definiens. Quibuſcum conſentiunt hîc Remonſtrantes, qui quidem Trinitatem proponere videntur, ſed ludentes ambiguitate verborum non revera illam Sacroſanctam divinarum perſonarum Trinitatem, in uno eſſentia Deo, quam Scriptura S. docet, Chriſtianitas Orthodoxa ſemper credidit & profeſſa eſt, & adverſus omnes hæreſes, utpote Eccleſia adhuc exiſtente ſub cruce, Samoſateni, & Sabellii, & deinceps Arrii & Photini, id eſt, *Socini*, aſſeruit, ac hæreſes eas hæreticoſque anathemate feriit & condemnavit. Et tamen illa ipſa hæretica Socini doctrina hic extra blaſphemiam ponitur, cui & anathema dicere, & illius defenſores eam ob cauſam à communione ſua excludere hi Apologiſtæ verentur. Subjiciunt quidem nonnulla, quæ à Scholaſticis in hac materia de modis rerum ſubtilius fuerunt diſputata, quæ nemo exigit à ſimplicibus Chriſtianis ſub anathematis pœna, quorum nulla quoque confeſſio noſtrorum meminit, nec de eo etiam quærebatur: eaque

merum

merum effugium ad declinandã causam, comparata sunt. Quæstio enim erat an Deus nõ damnaret in verbo suo eos qui nolunt filium ab ęterno esse, atq; unius & ejusdem cum Patre essentiæ, sed hominem tantum essentia, Deumque factitium: Et Spiritum Sanctum non esse veram personam. Quid autem de eo sentiant, missis subtilioribus disquisitionibus, indicant luce meridiana clarius verba sequentia: *Et profecto veterem Christianorum Ecclesiam, cum iis qui circa tempora Iustini credebant Iesum Christum non esse nisi hominem ex hominibus, communionem coluisse, dummodo Iesum verum Messiam esse, & per eum Deum colendum esse, firma cum ipsis fide crederent, colligitur ex Iustini Dialogo cum Tryphone.* Verba ipsa Iustini citant; sed ex quibus nulla consequentia probabili, nedum necessaria colligi potest veterem Ecclesiam tales hæreticos in communionem suam recepisse; nisi fortasse illis verbis abutantur, ubi autor dicit esse quosdam *ex genere nostro*, ἀπὸ τοῦ ἡμετέρου γένους, qui hoc dicerent. Vocat autem ex *genere suo*, quosdam, qui sub Christiano nomine vivebant, quod potuit apud Iudæum hominem: non quod illis Ecclesię communionẽ concederet, quos tota vetus Ecclesia semper excommunicavit. Ex detorto hoc testimonio, quid illi venari voluerint, etiam per consequentiam omni exceptione majorem, & cuivis obviam, apparet.

Item, ex eo, quod cum nostri omnes adversus negantes Christi propriam Deitatem, opponunt id quod Christus docet patrem suum τὸν ἴδιον ἑαυτοῦ πατέρα, *proprium suum patrem:* dicunt fol. 48. pag. B. *impossibile esse probare, ob solam æternam generationem* hoc dici; unde concedunt Socinianis, Christum esse *proprium* Dei filium, etiam ob aliam causam quam ob æternam generationem.

Præterea, cum & olim, & nostro tempore, quicunque de Christo vero Deo recte sentiunt, nobiscum argumententur

 ab

ab honoribus divinis, quos ſcriptura tribuit Chriſto, & inter eos ab adoratione divina, de qua ipſe Chriſtus reſpōdebat Satanæ, *Scriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſervies*: Matth. 4. Imo vero quod non ſolum homines, ſed etiam Angeli adorare debeant filium Dei, Heb. 1, inde ſequi oſtendant eum eſſe verum cum Patre Deum: Reſpondent Remonſtrantes non ſine ſarcaſino, *Eheu quantum periculum!* Et poſtea argumentum illud appellant *plumbeum & frigidam probationem*, fol. 155. A. Dixerant antea fol. 50 B. *à cultu divino argumentum irrefragabile ad probandam æternam Chriſti Deitatem peti non poſſe*. Fol. 39. pag. B, ubi agun de divino cultu Chriſti, fundamentum illius ſuæ ſententiæ jecerant, *ſe ſecuros eſſe illarum quæſtionum; An cultus ille ſubſtantia idem ſit cum cultu Dei; an fundamentum illius cultus ſi natura Chriſti divina, an alia quædam dignitas, cujus etiam particeps ſit natura humana; Tum, an in perſonam terminetur qua talem, an in perſonam quatenus in ea eſt natura divina*. Hęc cum dicunt, *ab otioſis Doctoribus necti, eſſe vanitates, quas non curant, ſed oderunt*, eos Socinianis manum dare quoad hunc articulum, *citra injuriam & calumniam*, ſole meridiano clarius eſ

Idem dicunt de Spiritu Sancto pag. 51. A.B. *ſe non potuiſ argumentum à cultu divino, ad probandum Spiritum Sanctum eſſe Deum, afferre*: quia *de Patre & Filio adorando Scriptura plena eſt; de Spiritu autem ſancto ne hilum quidem occurrit*. Negaverant paulo ante ſe poſſe uti hoc argumento, *niſi ex Scriptura adorationis Spiritus Sancti mandatum, exemplum, aut indicium aliquod manifeſtum proferrent*. Cum dicunt nihil tale eſſe in ſcriptura, *ne indicium quidem*, quid ſub his audacibus aſſertionibus, aut negationibus, non tam occultent, quam aperte moliantur, judicium eſto eorum, qui aliquid in talibus vident & ſapiunt.

Cum hactenus in Eccleſia inter fundamenta Chriſtianiſmi poſitum ſit illud, quod Chriſtus *natus ſit ex Maria*

Virgi

Virgine, ita ut sit *ex semine mulieris* immediate; *ex semine Davidis secundum carnem* mediate, qua ratione *factus est particeps carnis & sanguinis*; Remonstrantium Apologistæ, fol. 93. pag. B, *errorem eorum*, scilicet qui negent, Christum ex Mariæ substantia conceptum, & natum esse, *tanti faciendum esse non putant, ut propter eum quis in fundamento errare censeri poßit, aut debeat, dummodo fateatur Christum hominem natum esse; quia modus nascendi, humanitatem non constituit, quod docet Exemplum Adami, qui ex terra formatus fuit, & verus tamen homo fuit, eademque qua cæteri homines, humanitate prælitus. Aliud esse negare Christum hominem esse, aliud negare Christum ex substantia matris suæ natum esse. Istud sine periculo salutis fieri non posse; hoc posse, tum maxime cum creditur nullos homines quicunque tandem sint, ex substantia matris suæ nasci, prout Anabaptistæ non pauci credunt.* Quod si Christum esse verum Deum ejusdem cum Patræ essentiæ, & esse verum hominem ex ipsa Matris substantia credere, non sit ad salutem necessarium; quid tandem necessarium erit de Christi naturis credere?

II. Ad secundam libelli thesin quod attinet, in qua comparatur Socinianorum doctrina cum reformatarum Ecclesiarum de Prædestinatione sententia, non solum eadem dicunt Remonstrantes: sed multo atrociora: Et qui in omnes sectas tam sunt benigni, in Ecclesias illas ex quibus egressi sunt adeo sunt sævi, ut nullam spem salutis relinquant credentibus doctrinam prædestinationis, ex sensu Dordracenæ Synodi. Vt id probetur, cum in præfatione suæ Confessionis objectum eis fuisset, quod dicerent, Synodum Dordracenam articulos perperam stabilivisse quos rejiciunt, *nunquam infelix lolium, & Zizania veræ pietati & sanctimoniæ perquam noxia, imo fœdas veræ Religionis maculas atque vibices, quas pii omnes non aliter aversari debeant, quam abscessus & apostemata, probitatis omnem succum, sanguinem & vigorem*

 penitus

penitus exugentia, quod idem doctrinæ orthodoxorum olim objectum fuisse, conquerebatur August. contra Iulianum lib. 1. cap. 13, *quod eos deprimerent, & dicerent, quod dubium non sit, eversionem sanctitatis, contaminationem pudicitiæ, morum labem, eorum convenire, imo inesse dogmatibus* additaque fuissent verba Tileni in libello suo famoso contra Illustriss. Ordines, celsissimum B. memoriæ Principem, ac Synodum Dordracenam, ubi post alia mult effutita, contra statum Reipubl. nostræ, Principem & Synodum, hæc inter alia evomebat, *se repudiasse ἀλλόκοτον dogma, tam horrendum, ut existimaret, si coacto apud inferos immundorum Spirituum Concilio, eorum Princeps Diabolus, à paredris suis Angelis, sive singulatim, sive per saturam rogatis sententiis exquirat, quonam commento odium hominum adversus Deum vehementius incendi, atque intendi quea nihil posse à quoquam excogitari compendiosius, &c.* addidisse que Censura post tam horrendas calumnias hæc verb Angeli apud Zachariam & Iudam; *Increpet te Deus ô Satan, neque diu patiatur tam virulentas linguas abuti sanctissimo pietatis nomine, atque ita desperate de proximo suo mentir eodem loco & tempore, quo pietatis exercitia omnia se r ferre gloriantur:* Remonstrantium Apologistæ dicunt fo 18. pag. A, *non censendos esse se levem causam habuisse, cu doctrinam istam appellarunt infelix lolium, & apostema qu succum & sanguinem omnem pietatis exugat, fermentique inst sese per universum Theologiæ corpus ita diffundat ut nihil sa sapidique reliquum faciat. Quinimo quod de ea Clariss. vir T lenus censuit scripsitque,* MERITISSIMO *jure censuisse scripsisse credendum esse, nec esse quod metuat illud, Increpet Deus ô Satan! Istud non metuere qui credit doctrinam istam a cem esse, ex qua Satanas potentissime Deum & religione ejus oppugnat, &c.* Addunt pag. B, *Ecclesiam Calvinistica quæ Synodi Dordracenæ placita nuper sancivit, veritatis*

pa

pacis hostem esse, cum qua PAX & CONCORDIA COLI NON POTEST, *sine manifesto salutis periculo aut dispendio. Ita est*, inquiunt; *Hoc profitentur palam publiceque, fieri non posse, ut salutem consequatur is, qui juxta axiomata Ecclesiæ illius vivit.* Paulo post: *Neque igitur jure, à concordiæ & pacis studio alienus censeri potest, qui cum istis pacem & communionem, sine salutis periculo coli non posse ait; Pacis enim & concordiæ studium non debet excedere limites divinæ permissionis.* Hæc illi dixerant in præfatione Apologiæ suæ; *Nullam esse sectam, quæ impietatem validius firmet ac stabiliat* (etiamsi aliter ipsi videatur) *quàm Prædestinationis fatalis magistra secta.* In sua præfatione scribunt, eos qui reclamant libertati arbitrii qualem prædicant, *oppido paucos esse, nec alios quàm quos vel Scholarum præjudicia fascinarunt, vel vitæ impietas in sensum egit reprobum. Scurræ, nebulones, athei, cauterio isto fati opus habent, quo conscientias suas inurant, ut sine remorsu peccent, & fortiter in ganeis, lustrisque, aut ut ille ait, clam & in scrobe, virtutem omnem ejurent, &c. Præter hos si aliqui sunt, eos aut ipsos parum recte sapere, aut aliorum exemplo desipere.* Qui talia in publicum proferunt, quid credendum est eos apud suos mussitare?

De Ecclesiis Galliæ, à quibus nulla injuria affecti sunt, scribunt, quod in Synodis suis Nationalibus Aleziana & Charentonensi, ubi Dordracenam Synodum approbarunt, eam ita evexerint, *ut Sathanas non potuerit altius aut sublimius attollere humanam formulam.* pag. 6. A. In præfatione autem Apologiæ sub finem ita suos animant, *Non discedamus modo, sed fugiamus quam possumus longissime & citissime à sanguinariis istis cœtibus, ne cum ijs pereamus. Servari non potest, qui istis cœtibus, non dico favet, sed non se opponit, non refragatur, non reclamat. Totus Christi Spiritus, tota regia charitatis Christianæ lex, tota anima Euangelij simul & semel, isto axiomate suffocatur & eliditur.* Eo usque etiam procedunt, ut eos qui pacificè se ge-

runt, retinentes quidem ſententiam quinque articulorum, ſed contentionibus non indulgentes, reprehendant, *tanquam adeo ſegnes & ſocordes, ut præter inanem adfectum, ſterilemque juvandi voluntatem, nihil conferant. Indignos utique, qui ſub Chriſto mereant & ſtipendium melioris vitæ faciant.* Imo ut in introductione ad Apol. p. 1. non verentur de iis dicere, quod *prodigioſo ſilentio conſcientiam & bonam mentem ejuraverint.* Si tales vita æterna indignos pronuntiant, quid de iis adverſus quos tam odioſe inſurgunt cenſendum eſt? Ex his itaque liquet, eos ab omni pace cum Eccleſiis reformatis abhorrere, eamque impoſſibilem judicare, qui tamen cum aliis omnibus ſectis in Chriſtianiſmo communionem ſervare non detrectant. Hæc pauca è multis, quibus totus ille liber ſcatet, ut ſuo tempore, Deo favente, planum fiet.

CATALOGUS ALTER,

In quo excerpta sunt dogmata alia ex Apologia Remonstrantium, in quibus quoque præter articulos quinque controversos, à doctrina Ecclesiarum Reformatarum abeunt.

DE vita æterna, hactenus creditum fuit in omnibus Ecclesiis, promissionem ejus fuisse factam patribus sub V. Test. per semen benedictum. Sociniani negant ullam ejus promissionem in Veteri Testamento fieri, sed id ad N. Test. privilegia tantum pertinere asseruerunt. Sic vero Apologistæ Remonstrantes fol. 26. pag. 6. ut Socino patrocinentur. *Si clarè,* inquiunt, *& expressæ promissiones de salute ac vita æterna etiam libris Vet. Test. continentur, quid opus est de ea re digladiari? Proferantur loca, conclamatum est.* & fol. 151. p. 6. *Certum esse,* dicunt, *præceptum fidei in Christum, nuspiam in Vet. Test. clare traditum extare, uti neque in terminis promissionem vitæ æternæ.* Quibus indicant, se non existimare locum ullum reperiri clarum in Vet. Test. quo id probari possit; cum tamen ipsi Iudæi ante Christum putarint, *se vitam æternam habituros ex Scripturis, quodque ipsæ testentur de eo.* teste Christo Ioan. 5. vers. 39. quod non potuerunt sibi persuadere, nisi ex locis illis, quibus obedientibus *vita* promittebatur; & inobedientibus *mors* intentabatur; quod cum de æterna morte intelligendum esse, constet ipsis etiam adversariis; ex vi oppositionis clarum est, æternam etiam vitam, promissione comprehendi, quemadmodum etiam expresse mentio fit vitæ æternæ Danielis cap. 12. vers. 2.

Quid sentiant Remonstrantes.

I. De fide & salute patrum sub Veteri Testamento.

Ubi

II. De necessitate doctrinæ SS. Trinitatis & duarũ in naturarum persona Christi.

Ubi de articulis fidei agunt, & omnibus creditu necessariis, dicunt, *se necessaria ad salutem ea tantum intelligere, sine quibus nullo modo fieri potest, ut quis vel præceptis Iesu Christi rectè, & prout oportet, obediat, vel divinis eiusdem promissis firmiter confidat: quæque talia sunt, ut sine manifesta hominis culpa negari, ignorari, aut in dubium vocari nequeant.* Confess. cap. 1. sect. 13. Talia autem cum pauca esse asserant, quæsitum fuit, An crederent in eo numero comprehendi quæstiones has, *An in divina unica essentia sint, nec ne, plures personæ? Quando Dei filius primum extiterit; utrum genitus fuerit ex Patris substantia, nec ne; An Christi persona constet ex duabus, an vero ex unica tantum natura? An Spiritus Sanctus sit persona divina, an vis tantum Dei?* Respondent Apologistæ, fol. 32. p. 6: *Qui eas (scil. quæstionum decisiones) simpliciter & præcisè esse cognitu* ad salutem *necessarias statuunt, eos necesse est myriadas animarum alioquin piissimarum, de plano damnare, quia profunda istarum explicationum ignorantia laborant, aut evidentem istam consequentiam se videre non posse profitentur; aut, se pronunciare non audere de absoluta & simplici explicationum istarum necessitate. Non se velle damnare quemquam, nisi quem Christus Dominus eorum expressè damnat, aut tam evidenti collectione, ut non minus palpari possit, quam hæc; Currit, ergo movetur.* Ex quibus constat, propositiones istas, 1. In una divina essentia sunt tres personæ. 2. Filius Dei est ab æterno. 3. Filius Dei est genitus ex patris substantia. 4. In Christo est unio hypostatica duarum naturarum. 5. Spiritus Sanctus est persona divina à Patre & Filio distincta; constat, inquam, per Remonstrantes tales esse, quas qui non credit, Christus non damnat, nec expressè nec per consequentiam necessariam aut evidentem collectionem; & myriadas esse *piissimorum* virorum

qu

qui id non credant, qui tales non tantum *pios & probos*, ut anteà aliquando, ſed ſuperlativè *piiſſimos* ſtatuunt; nec injuria ſanè, ſi hæc talia ſint, *ut ſine manifeſta hominis culpa, negari, ignorari, aut in dubium vocari poſſint:* quod κριτήριον initio ponunt rerum ad ſalutem neceſſariarum. Quæ cauſa fuït, cur in examine præfationis, in magnum illum Athanaſium, qui in Symbolo quod ejus nomine editum fuit, & à toto Chriſtianiſmo approbatum, quæſtiones has ita definivit, ut eas ad ſalutem neceſſarias hac præfatione judicaverit, *Qui vult ſalvus eſſe, antea credat oportet, &c.* ita involent, *ut non dubitent profiteri eum limitem hujus juris prætergreſſum eſſe*, & Symbolo huic *ſuperbam iſtam præfationem præfixiſſe*. pag. 6. b.

III. De infinitudine & immenſitate eſſentiæ Dei.

Fol. 42. b. & 43. a. ubi agunt de infinitudine & immenſitate Dei, de qua quid Vorſtius ſenſerit, & quàm ejus Sociniana ſententia in toto Chriſtianiſmo horrenda judicata ſit, omnibus notum eſt; ne cogantur ab eo diſcedere, negant ſe definire auſos fuiſſe, *Deum ſecundum eſſentiam ſuam eſſe tum in terra & cælo, tum extra ea, atque omnia locorum ſpatia. Nec enim uſpiam in Scripturis legi Deum ſecundum eſſentiam ſuam eſſe ubiq;, nedum ſecundum eſſentiam ſuam eſſe extra cælum & terram in ſpatiis omnibus, etiam imaginariis. Et bone Deus!* inquiunt, *quis atopicam & atomicam iſtam eſſentiæ divinæ & perſonarum trium divinarum præſentiam, non dico tantùm in cælo & terra, in cloacis, in idolis fœdiſſimis, in Diabolis, in inferno imo, ſed extra cælum & terram in ſpatiis etiam imaginariis, quæ non conſtat uſpiam eſſe, & quæ fingi neceſſe eſt, & ficta quid ſint, intelligi non poteſt, ſic comprehendit, ut non hæreat, non ſtupeat, non tremat, non horreat. Quis iſta cum dicit intelligit? Ab iſtis ſane facilis prolapſus in Atheiſmum.* Nec illi odioſè, ea conquirentes verba, quibus invi-

 diam

diam concilient doctrinæ de Dei immensitate, cujus essentiam spiritualem & simplicem, putant, eheu! contaminari locorum vilitate. Imo quod si Deus essentia sua ubique non sit, comprehensus erit loco, non infinitus, ex quo consequetur manifestus Atheismus; non vana illa suspicio Atheismi, quam movent.

IV. De certa Dei præscientia futurarum & contingentium rerum.

Socinianos negare præscientiam Dei ratione futurorum contingentium, ex Socini prælectionibus constat. Cum objectum fuisset Remonstrantibus, Episcopium quæstionem illam problematicã facere; saltem an scitu *necessarium sit ad hoc ut Deus colatur, scientiam istam Deo competere*, illi *recte & prudenter sine dubio eum fecisse* respondent, fol. 44. A. adduntque *eum qui disquiri & examinari aliquid permittit, etiamsi significare videatur rationes ex utraque parte esse, quæ probabiles sunt & verisimiles, tamen sententiam suam nondum interponere.* Concludunt, *quid de ea ipsa re statuerit Episcopius, colligi ex verbis istis non posse.* Ex quibus apparet eos nolle de re sententiam suam aperte profiteri; alioquin id occasione facere debuissent, ut accusationi satisfacerent, vel calumniosam esse probarent. Est autem hæc res magni momenti, ut cuilibet Christiano notum est. Sed qui cum Cicerone, *ut hominem liberum faciant, sacrilegum faciunt*, non audent fateri, Deum omnium futurorum esse præscium, ad salutem pertinere. Hæc autem quomodo conveniant cum doctrina de præcisa fide, ipsi viderint.

V. De singularibus usibus ad pietatem doctrinæ de SS. Trinitate.

Fol. 52. B. Cum quæsitum fuisset, *cur doctrinæ de Trinitate nullos usus proferrent?* cum tamen in aliis doctrinæ capitibus, usus aliquos se annotare professi essent, ut hac ratione distinguerent ea quæ ad salutem sunt omnino creditu necessaria, ab aliis: Respondent

ve-

ecordem esse qui novos hîc usus fingat, præter eos quos oſt doctrinam de Deo annotarunt. Hoc ſi verum ſit, um Iudæi & Turcæ unum Deum credant & ei omnia attributa de quibus dictum eſt aſſignent; eoſlem uſus ad ſalutem habebunt ex doctrina de Deo, uos Chriſtiani.

VI. De qualitate pœnæ quam Deus Adamo & poſteris comminatus eſt.

Ad cap. 7 Cenſuræ, fol. 83, ubi agunt de pœna peccati Adami, quæ ex comminatione divina debita fuit, *ortem æternam*, definiunt *ſeparationem corporis & animæ, quæ nunquam finienda erat, & pœnam damni* tantum, *ne ulla pœna ſenſus*. Verba ſunt: *Per mortem itaque æteram, quam Deus Adamo ejuſque poſteris comminatus eſt, emonſtrantes non modo non excluſam volunt eam, quæ temoralis ſecundo modo appellatur*; (appellant autem ſecuno modo temporalem, quæ in tempore quidem accit homini, ſed tamen ita durat ut nunquam ſit finiena; ſeu, *diſſolutionem animæ & corporis ſive compoſiti totius eſtructionem*) *ſed comprehenſam etiam volunt, eamq; æteram appellant, quia nunquam finienda erat, & conjunctam bi habitura erat æternam pœnam damni.* Idem dixerant ntea, ad cap. 5. fol. 57.B. *Per verba, Morte morieris, intelligere ſe mortem corporalem, ſive diſſolutionem animæ & rporis quam præcedunt mala omnia ad mortem diſponenia, & quam deinde æterna pœna damni, id eſt divinæ viionis ſive gratiæ & gloriæ æternæ privatio ſubſequitur.* Neant autem *uſpiam Adamo denunciatam pœnam æternam nſus*, item & cruciatus infernales. Hæc doctrina Chriſtianis hactenus, præter eos qui à Socino nomen abent, incognita fuit; ex qua ſequitur, eſſe aliquam nortem æternam extra conjunctionem corporis & nimæ; ex qua negatur reſurrectio Adami & poſteroum, ſi in ſtatu peccati manſiſſet; Ex qua ſequitur aniam eorum poſt mortem non eſſe aliquo mali ſenſu

prǽditam, quod Socinus voluit. Sequitur etiam eo: quibus evangelium nunquam propositum fuit, non resurrecturos, & in illa separatione (quam Socinian annihilationem esse volunt) mansuros in pœna damni, sine ullo sensu miseriæ. Quæ cum libello *de Concordia Ecclesiæ consentiunt* pag. 36, ubi autor negat *illo ulla ratione puniri, quibus nunquam salutaris doctrinæ vox ad aures accidit, sed eos tantum in misera sua conditione relinqui, ad quam nascendi sorte adstricti fuerunt.*

VII. De Peccato originis, quod nec peccatum proprie dictum, neque peccati pœna sit.

Fol. 84. A. & B. Quamvis hactenus unanimi omnium nō solum Reformatorum consensu, sed ipsorun etiam Pontificiorum, creditum fuerit, in omnes posteros Adami, ex ejus peccato, transiisse veri nominis peccatum, quod *Originale*, omnes tam vetere quam recentiores appellarunt; quod adversus Pelagianos, tanquam fundamentum humilitatis nostræ & agnitionis gratiæ Dei, fortiter assertum est: placuit Remonstrantibus nunc audacter Scripturæ & totius Ecclesiæ consensui hæc sua opponere. *Peccatun Adami, non sic imputari posteris à Deo, quasi eos revera cen suisset ejusdem cum Adamo peccati & culpæ, quam Adamu commiserat, reos. Neque per privationem veræ justitiæ, relictum esse in unoquoque Adami filio, ante proprium suun actum, aliquod veri nominis peccatum. Neque aliquid in i esse odio Dei proprie sic dicto dignum ex peccato Adami; ne illud quod in eos ex Adamo peccatore dimanavit, in ips esse peccati pœnam proprie dictam.* Concludunt his verbis *Peccatum itaque originale nec habent pro peccato proprie dicto, quod posteros Adami odio dignos faciat: nec pro malo, quo per modum proprie dictæ pœnæ ab Adamo in posteros dimanet*

VIII. De peccatis, quæ primum peccatum consequntur, ea non formaliter peccata esse.

Fol. 86. B. *Negant Remonstrantes actus illos qui sequuntur destitutionem sive privationem divinam justitiæ, ob peccatum commissum, esse formaliter peccata, quæ scilicet od pœnam*

nam obligent illos à quibus fiunt. Itaque ex eorum ſenſu Adam, poſt amiſſam juſtitiam Originalem, non potuit peccare formaliter,. nec augmentum pœnæ mereri. Vnde etiam ſequitur, Angelos malos, qui per peccatum amiſerunt juſtitiam, & quibus Deus non contulit gratiam qua reſurgere poſſent ex peccato, non amplius peccaviſſe poſt primum lapſum, & jam diabolos non peccare vere aut formaliter, in ullo actu ſuo.

Fol. 87. A. Negant ullos infantes eſſe ſubjecta capacia operationis Spiritus Sancti, vel in illis habitum ullum juſtitiæ reſtitui. Vbi addunt, *Nec refert an infantes iſti ſint fidelium aut Ethnicorum liberi. Infantium enim qua infantium, innocentia eſt prorſus eadem.* Itaque inter infantes Chriſtianorum, Iudæorum, Turcarum & Gentilium, nullum apud eos diſcrimen eſt, in participatione gratiæ Chriſti. Hos cum nulli peccato obnoxios eſſe ſtatuant, nec ulla pœna dignos, nec regenerationis Spiritus S. participes; dicunt tamē per Chriſtum ſervari, quem ſcriptura dicit veniſſe ut peccatores ſalvos faceret; & dictum fuiſſe Ieſum, quia populum ſuum à peccatis erat ſalvaturus.

IX. De peccato in infantibus eos neq; peccatū habere, neque Spiritu Chriſti regigni.

Fol. 91. A. *Negant locum ullum eſſe unde appareat fidem in Chriſtum moriturum, in Veteri Teſtamento directe & aperte præſcriptam, aut exercitam fuiſſe.* Cum tamen Apoſtolus ſæpius repetat ſe nihil dixiſſe de Chriſto extra ea quæ Moſes & prophetæ futura prædixerant. & initio cap. 15. Epiſt. prioris ad Corinth. Chriſtum mortuum eſſe *& reſurrexiſſe ſecundum ſcripturas.* Fol. 125, Zachariam patrem Ioannis Baptiſtæ, in cantico illo ſuo ubi Chriſtum Regem agnoſcit; *jam tum agnoviſſe Meſſiam pro Rege ſpirituali veriſimile eſſe negant.* Imo idem dicunt de Zacharia, Maria Chriſti matre, & Simeone, fol. 121. b. quaſi in canticis ſuis nihil aliud cogitaſſent,

X. De fide Patrum V. T. De Chriſto & ſpirituali Chriſti regno.

& nescivissent Christum moriturum pro mundi peccatis, aut spirituale ipsius fore regnum.

XI. De Fide & regeneratione, quod Christi merito nobis non tribuantur.

Fol.95. A. dicunt, *Nihil ineptius, nihil vanius esse quam tribuere Christi merito, quod fidem & regeneratione͞ nobis meritus sit.* Vnde sequitur, non posse Ecclesiam à Deo petere propter meritũ Christi, ut det fidem & regenerationem, iis qui à fide alieni sunt: aut nos debere regeneratione͞ nostram merito Christi: quæ an faciant ad amorem hominum Christo conciliandum, quivis judicare potest: præsertim hæc verba quæ sequuntur. *Ejusmodi efficaciam merito Christi tribuere, est Evangelicæ totius doctrinæ, quæ præceptis & promissis constat, naturam, & fidei atq; obedientiæ universæ proprietatem plane negare; Imo efficaciam meriti Christi, si notet eventum*, TOTAM SOLAM *penes nos stare dicunt; & aliter fieri non posse.* Fol. 96. A.

XII. De Christi regno, quod Rex esse potuerit, sine ullis fidelibus subditis.

Fol. 101. B. Comparationem instituunt inter Reges terræ & Christum Regem, in qua nihil amplius tribuunt Regi Christo, in conciliandis sibi subditis, quam Regibus qui subditos suos non reddunt sibi morigeros. Quemadmodum enim justa potestate in subditos præditus est Rex, sive pareant, sive secus, & honor regis in eo situs est; Ita volunt Christum nullum alium habere honorem regium præter illam potestatem, quam etiam in rebelles habiturus esset. Sic enim illi; *Honor iste regius Christo Domino integer constaret, etiamsi nullus esset, qui ei parere vellet. Nec merito Christi glorioso quicquam decederet, etiamsi nemo esset (quod tamen nunquam futurum est) qui meriti ejus particeps esse cuperet.* Ex his sequitur, nihil honoris ad Christum regem redundare, si ei obtemperemus, quia isti putant, non magis Christum nos facere sibi obedientes, quam reges subditos suos. Itaque fol. 103. B. dicunt *non necessarium fuisse, ne Christus non Rex esset aut caput, aliquos subditos & membra*

Chri-

Christi fieri. Et fol. 238. B. *Quasi vero Christus regno suo privaretur, si fieret, ut ab eo subditi ejus omnes & singuli deficerent, seu sponte sua, seu ab aliis seducti!* Eadem prolixe repetunt fol. 239. A.

Doctrina de Iustificatione fidei, hactenus in omnibus Ecclesiis Protestantium & Reformatorum, credita fuit & est; quod justificamur gratis per misericordiam Dei in Christo, imputãtis nobis justitiam & obedientiam Christi; fidem justificantem respicere specialem misericordiam Dei, qua nobis remittit peccata, & justitiam Christi imputat. Non justificare fidem, qua opus est, etsi bonum opus; sed ratione objecti sui, nempe meriti & satisfactionis Christi, quod apprehendit. Hanc doctrinam Socinum pervertisse, apud omnes constat; Nec ipse Socinus in omnibus suis scriptis negat, se ab omnibus reformatis in ea re dissẽtire. At Remonstrantes, p. 114. A. dicunt, *si quis quæ à Socino dicuntur in hac materia, sine gratia, sine odio expendat, is, velit nolit, confiteri tandem cogetur, eum in substantia rei cum Reformatis consentire, manente tantum hoc discrimine, quod obedientiam fidei formam vocet, cum Ecclesiæ reformatæ eam vocent effectum,* quod nullius momẽti esse dicunt. *Quis,* inquiunt, *cicum interduit?* Sed cum tã illi, quam Sociniani contẽdant, *fidem ipsam nostram cum operibus haberi pro justitia illa qua justificamur* nec distinguant inter modum quo dicitur fides justificare apud Paulum, & opera dicuntur justificare apud Iacobũ, imo rident distinctionem, quæ hactenus ab omnibus Orthodoxis fuit usurpata; nullus est reformatorum, ne quidem Lutheranorum, quem non in hac causa judicem recipiamus; an verum non sit quod illis objectum est, *eos in articulo de Iustificatione omnibus Ecclesiis reformatis bellum indixisse.* Quia autẽ id prolixe faciunt per tota capita decimum

XIII. De Iustificatione, quod non tantum fide in Christi meritis sed etiam bonis operibus homines justificantur.

&

& undecimum, abstinemus à singulari locorum citatione; sed cum *obedientiam nostram*, substituunt *obedientiæ Christi*, quod perpetuo faciunt, non est opus alia probatione. Nemo enim reformatus hactenus dixit, nos obedientia nostra justificari; sed justificatos *obedientia sua justificatorem suum glorificare*.

XIV. De Magistratus Vindicta in facinorosos, & tolerantia sua Anabaptistarum hic male sentientium.

Fol. 141. a. Profitentur, *se libenter tolerare paratos esse qui adeo teneræ, aut sic à teneris imbutæ conscientiæ sint, ut credant, Christiano nulli, ne quidem magistratum gerenti, licere sangvinem effundere, aut capitalibus suppliciis in sontes animadvertere, dummodo secus sentientes non damnent ut intolerabiles.*

XV. De Lege Dei, ejusque ad piam vitam perfecta norma.

Cum Dominus noster Iesus Christus totius legis decalogi summam in his duobus capitibus constituerit, dilectione Dei ex toto animo, & proximi nostri sicut nostri ipsius, eamque perfectam vitæ perfectæ normam proposuerit: Remonstrantes tamen fol. 142. a. contendunt, *nihil ad rem facere sive Christianus credat legem decalogi perfectam vitæ Christianæ normam continere, sive id neget.* Item asserunt, *in lege decalogi de nostri directione aut abnegatione, de crucis tolerantia, de bonorum ad hanc vitam usu, ne γρῦ quidem esse.*

XVI. De Libero arbitrio. Quod non Deus modo, sed & homo suo Libero arbitrio, se discernat.

Contra Apostoli Pauli doctrinam, qua ille sæpè inculcat gratiam Dei *ut nemo glorietur*, & negat hominē se ipsum discernere, fol. 144. b. dicitur apertè, *nihil verius esse quam quod homo dicatur discriminare seipsum*. Et postea, positis duabus hypothesibus, addunt, *eas sufficere ad hoc ut homo discriminationem suam istam Deo, ut summo & primo, etsi non unico, & solitario autori, acceptam ferre debeat.* Contra Apostolum Rom. 2. ℣s. ult. *Cujus circumcisionis* (internæ nempe) *laus, non est ex hominibus, sed ex Deo.* Item Rom. 9. ℣s. 16. *Non est volentis nec currentis sed miserentis Dei.* E contrario, Remonstrantibus,

non

non est miserentis Dei tanquam solitarij autoris, sed etiam volentis & currentis hominis.

Inter *debita nostra*, quibus obnoxii sumus justitiæ Dei, omnes ubique Christiani non tantum reformati, sed ipsi etiam Pontificii annumerarunt peccatum Originale & innatam concupiscentiam. Remonstrantes audacter pro suo more pronuciant, fol. 148. b. *Cum Christus jussit orare, Remitte nobis peccata nostra, non posse se animum inducere originalis pravitatis rationem hic habitam esse.* Causa est, quia nullam pœnam deberi ei pravitati, am antea affirmarunt.

XVII. De petitione remissionis peccatorum, quod sub ea non petatur Originalis peccati remissio.

Fol. 189. b. Disputant & concludunt, Christum voluntati Patris sui de legatione ad salutem nostram potuisse non obedire; & propriè peccaturum non fuisse i non obedivisset; Et fol. 190. b. *Fidem eorum qui miraculosè convertuntur & resipiscunt, non esse virtutem obedientiæ; & Angelorum qui in cœlo jam sunt obedientiam, non se propriè dictam obedientiam, sive obedientiam formaliter;* dicamus eos non potuisse non converti, aut Angelos on posse peccare: ex quo sequitur, si illorum fides & esipiscentia sit obedientia, & Angelorum etiam qui Dei voluntatem faciunt opera sint *laude digna*, potuisse trosque & posse nunc Angelos bonos non obedire & eccare.

XVIII. De obedientia Christi, quod potuerit Patri in Legatione sua non obedire sine peccato: & fidem miraculosam & Angelorum obedientiam non esse proprie obedientiam.

Fol. 219. a. Ad quæstionem, *An eadem corpora nostra it resurrectura, vel alia corpora à Deo creanda?* Respon-ent, *Rationes pro utraque parte probabiles esse, nec fieri posse solidè hæc lis decidatur, quamdiu certo non constat, An hoc rpus sit pars essentialis hominis, an verò instrumentum tan-m humanæ animæ, quatenus in hac vita ejus ministerio in-get.* Allegant autem Calvinum respondentem Læ-Socino Epist. 103. qui quæstionem hanc inter *curio-* potius quam inter utiles ponendam censet. Quam

XIX. De Resurrectione, quod disputabile, an eadem corpora resurgent.

 episto-

epistolam nemo leget, qui non videat injuriam fieri Calvino. Nam etsi controversiam illam à Socino motam ad curiositatem referat, rem ipsam tamen ita ex scriptura decidit, ut aliter constare non posse censeat articulum Symboli de resurrectione carnis. Id autem faciunt illi problematicum, *num ejusdem carnis sit futura resurrectio necne?*

XX. De Baptismo; quod disputabile sit, an Baptismus sit signaculum remissionis peccatorum.

In baptismo obsignari ex institutione Christi justitiam quam nobis acquisivit, quod de circumcisione Paulus dixit, hactenus omnes reformatæ Ecclesiæ ita crediderunt, ut hanc esse præcipuam baptismi efficaciam unanimiter docuerint. Hanc sententiam etsi non rejiciant Remonstrantes, sic tamen loquuntur fol. 252. a. *Non erubescere fateri, se toto animo abhorrere à rigore istorum hominum, qui, si quis fortè probus piusque post adhibitam omnem quam prudenter adhibere potuit diligentiam, non possit credere, aut ab animo suo impetrare, ut credat, baptismum alij fini servire quam ad testandam vitæ malè antea actæ derelictionem, & vitæ melioris inchoationem, id est, non esse nisi sacramentum pœnitentiæ, idcirco eos intolerabiles & anathemate dignos censent. Absit. Contrarium sæpius testati sunt Remonstrantes, & indies facto ipsi testantur in Ecclesiis suis.*

XXI. De Pædobaptismo, quod ejus usus non sit necessarius.

Addunt paulo post; *Nullum esse præceptum nec exemplum in sacris, unde necessitas infantes baptizandi solide & sine controversia erui aut adstrui possit.* Et pag. 254. B. *Remonstrantes causam nullam esse vident, cur sententia eorum qui pædobaptismum necessario in Ecclesia Christi, necessitate seu præcepti, seu medii, retinendum aut usurpandum esse non arbitrantur, ut intolerabilis in Ecclesia censenda sit, ac proinde Pastores qui baptismum infantium per conscientiam usurpare non audent, & interim alios, eum, seu ex conscientia seu ex traditione, consuetudine, vel recepto more usurpantes, tolerant*

lerant

lerare parati sunt, pro VERIS AC LEGITIMIS *Christi Pastoribus habendos esse*. Ex quibus constat, baptismum infantium apud eos esse quæstionem problematicam, & quæcunque contra Anabaptistas disputata olim fuerunt & etiamnum disputantur, paucis verbis obliterari à Remonstrantibus, Socinianorum & Anabaptistarum communionem hac arte ambientibus.

XXII. De Magistratus potestate, quod eam habeat in publica templa: sed non in sectas aut earum exercitia.

Fol. 262. A. & 263. B. Vbi agunt de potestate coactiva Magistratus circa religionis exercitia, concedunt tantum, *Magistratum carnali & coactiva potestate posse uti, in personas, loca, & functiones publicas, & animadvertere eadem vi pro officio, in eos qui sine Magistratus consensu jussuve in locis publicis, functiones publicas exercere, vel quæ in eis exercentur turbare; quocumque tandem prætextu audent*. Sed asserunt, EXTRA LOCA PUBLICA *nullum jus, nullam vim coactivam ei competere, in conscientias aut* ACTIONES *privatorum, quæ Religionis & conscientiæ solius causa fiunt*. Hoc ita explicant, *Magistratum vi coactiva nulla uti* POSSE, *quæ impediat subditorum in locis privatis ac propriis religiosa exercitia, quæ ad sensum & professionem illam fovendam faciunt, & ad quæ subditi ex lege Dei ac Domini sui se obstrictos credunt. Hæc vi publica inhibere aut turbare, esse conscientiis vim facere*. Quorsum hæc tendant, satis notum erit D D. Magistratibus; Nempe ut omnibus omnino sectis libertas conveniendi fiat, dummodo excipiantur loca quæ ex Magistratus ordinatione publica sunt. Alioquin, si mille conveniant apertis foribus, in privata domo aut privatis ædibus, non habebitur ex eorum sensu conventus publicus; cum tamen præcipui eorum antehac de Magistratus potestate, longe aliter se sentire publice professi fuerint.

Socinianos autem omnes cum constet credere, doctrinam suam esse veram, & *pabulum necessarium*, inde sequitur, si magistratus inhibeat ut in locis privatis conveniant ad sua religiosa exercitia quæ ad professionem illam fovendam faciunt, ad quæ ex lege Dei ac Domini sui se obstrictos censent, quia ut aliter credant *non possunt impetrare ab animo suo*, (quæ est regula tolerantiæ apud Remonstrantes) nullam vim coactivam competere Magistratui, in tales eorum actiones; qua de re Magistratus viderit. Atque hæc quidem pro tempore, ex tam multis, excepta, quæ omnium Ecclesiarum atque Academiarum reformatarum examini subjicimus, & ad earum judicia provocamus, ne quidem exceptis Protestantium ecclesiis atque Academiis. Nec dubitamus, quin pii ubique Apologia illa expensa, ad tot non solum profanas novitates, sed etiam impietates exhorrescant.

APPENDIX
Ad Lectorem Christianum.

CHristiane Lector, Postquam excerpta præcedentia gravium nonnullorum virorum, tam Politicorum, quam Ecclesiasticorum hortatu, Typographo excudenda tradidissemus, ut illa quaquaversum omnibus innotescerent, libellus quidam ad nos delatus fuit, in quo Remonstrantes (omisso tamen nomine) ad ipsa videbantur respondere: ideoque & nos ab ulteriore editione liberatos esse existimabamus. Verum re propius considerata, insignem ipsorum errorem (sive ipsis insciis, sive consciis commissus sit) statim animadvertimus. Articuli enim illi non sunt nostri, aut à nobis excerpti, prout scripti ipsorum titulus perperam præ se fert; sed pauca quædam continent loca quæ Doctor *Festus Hommius*, Regens Collegii Illust. D D. Ordinum Hollandiæ & West-Frisiæ, ex ipsorum Apologia in eum tantummodo finem collegit, ut ostenderet, Remonstrantes jam quidem cum aliis sectis, atque inprimis cum Sociniana communionem Ecclesiasticam colere posse & velle: at neutiquam cum Ecclesiis nostris, quæ Dordracenis, ut loquuntu, decretis adhærent. Atque illa quidem D. *Festus* facile refellet, quæque ipsis in excerptis suis attribuit, sua responsione tuebitur. Quæ vero, eadem de re in prima excerptorum nostrorum parte notavimus, ab ipsis Remonstrantibus in suà Apologia tam perspicue atque evidenter expressa sunt, ut ejusmodi glossemata, quæ adversus D. *Festum* proferunt, illis infirmandis parum accomoda sint, nec ponderis momentiq; quicquam habeant. Non enim cardo rei in hoc vertitur, an particula, *sic*, aut similis aliqua, omissa sit, sed in eo, annon profiteantur in sua Apologia se paratos esse ad Socinianos in sui communionem recipiendos, qui præter alias hæreses quamplurimas, veram quoque atque æternam Christi Deitatem, & salvificam ejus pro nostris peccatis satisfactionem negant. Et, annon reipsa id faciant, quod in sua Apologia profitentur, atque hac ratione viam aperiant, qua præter alias sectas hæc quoque in nostram Rempublicam introduci possit, quæ hacte-

nus toti Christianismo fuit execrabilis, quamcunque tandem vitæ speciem ostentet: Quam facultas quoque Leydensis Theologica Anno 1598. ab Illust. D D. Ordinibus rogata, ad *Turcismum proxime accedere* recte judicavit; ac propterea nostræ Reipublicæ illo ævo Rectores, duos illos Pastores Socinianos, Ostorodium scilicet & Vaidovium, ex his Provinciis discedere jusserunt, qui ab ipso Socino huc missi fuerant, ut sub pædagogorum titulo suum inter nos venenum spargerent, quemadmodum hoc Wtenbogardo aliisque ipsius sociis satis notum est. Cæterum loca illa quæ ex ipsorum Apologia producimus, ut probemus eos nullam amplius cum Ecclesiis reformatis (quas Calvinisticas nominant) velle communionem habere, atque ex suis, illos quoque cœlo excludere, qui ex illis apud nos tranquille ac pacate vivunt, loca (inquam) illa sunt similiter sole meridiano clariora. Neque illud ipsos excusat, quod jam in sua responsione, duas hasce conditiones adjungant; quamdiu scilicet nostræ Ecclesiæ doctrinam suam ab ipsorum sententia discrepantem, prout decretis Dordracenis fuit stabilita, pro necessaria habere perrexerint, & quamdiu hæreticorum supplicium aut hæreticidium ab iisdem nostris Ecclesiis propugnabitur. Nam de hæreticidio (ut ab hac posteriore conditione ordiamur) nihil unquam actum fuit nedum conclusum in Synodo Dordracena; neque in ulla alia reformatarum Ecclesiarum Synodo aliquid de eo in hisce Provinciis constitutum, aut Ecclesiarum nostrarum nomine ab ullo Magistratu postulatum. Merum itaque hoc ipsorum est figmentum & effugium. Verum quidem est, Synodos atque Ecclesias legitimos suos Magistratus interdum rogasse, ut audaciam quarundam sectarum, ac nominatim Remonstranticæ, (quam antea D D. Ordines factionem in statu suæ Reipublicæ nuncuparunt) sua auctoritate refrænarent, ac solennia saltem ipsorum conventicula congruis rationibus inhiberent. At nunquam Ecclesiæ nostræ hujusmodi extrema remedia ab ipsis postularunt: multo minus ad vim familiarum ac privatarum personarum conscientiis inferendam eos instigare voluerunt. Interim supremorum Magistratuum officium esse, oculo vigilanti externi cultus divini curam gerere, omniaque arcere, quæ verum, quem ipsimet profitentur, Dei cultum perturbant atque impediunt, nullæ unquam Ecclesiæ reformatæ negarunt. Quod praxis quoque ac laudabilia Veteris Te-

stamenti

ſtamenti exempla abſque omni contradictione demonſtrant, quæ ipſemet Wtenbogardus in libro ſuo de officio Magiſtratus fol. 88. & ſeq. à Magiſtratibus ſub Novo Teſtamento imitanda eſſe agnoſcit: nec non manifeſta quæ de ea re habemus primi ac præſtantiſſimi Chriſtianiſmi exempla ſub Imperatoribus ac Regibus Chriſtianis: omneſque, tam Evangelicarum, quam Reformatarum Eccleſiarum confeſſiones, quarum verba pleraque in eodem VVtenbogardi libro conjunctim reperiri poſſunt. fol. 112. & ſeq. Quod autem illi curam illam atque inſpectionem Magiſtratus nunc limitant, atque ad templa publica reſtringunt, id valde ridiculum eſt, cum ita non ſint loquuti, quando VVtenbogardus librum illum conſcripſit, edictaque Vltrajectenſia ac Schielandica pro ipſis adverſus Contra-Remonſtrantes fuerunt publicata. Adde quod hæc ipſorum exceptio turbulentis ingeniis viam ſternat, quæ ſe ex Magiſtratus poteſtate ſubducere ſatagunt. Tantum enim opus eſt, ut à templis publicis abſtineant, ſibique ſectas peculiares ſub prætextu conſcientiæ erigant, prout hodie faciunt Remonſtrantes, ut in rebus Eccleſiaſticis à coactiva Magiſtratus poteſtate publica liberi atque immunes reddantur. an vero Patriæ noſtræ Proceres illud ita accipere atque interpretari poſſint ac velint, ipſorum ſapientiæ & prudentiæ committimus. Vt deinceps ad priorem conditionem accedamus, quâ noſtrarum Eccleſiarum doctrinam intolerabilem eſſe probare conantur, propterea videlicet, quod Synodus Dordracena hoſce articulos controverſos neceſſarios declaraverit, id quoque ridicule & ſine ullo fundamento ab ipſis producitur: cum hæc ipſa doctrina, quæ talis in Synodo Dordracena pronunciata fuit, præſentibus plerarumque Eccleſiarum reformatarum deputatis, cum rejectione contrariæ ſententiæ, antea quoque ab iiſdem Eccleſiis reformatis pro neceſſaria perpetuo fuerit agnita ac recepta, ut quæ firmiter Dei Verbo innititur, nobiſque ab eo proponitur: ſicuti id patet ex Confeſſionis noſtræ ſubſcriptione, quæ facta eſt ab omnibus Eccleſiæ Miniſtris in hoc noſtro Belgio, inter quos cum Arminio etiam fuit VVtenbogardus. Idem conſtat ex diſciplina ac Cenſura Eccleſiaſtica, quam noſtræ Synodi atque Eccleſiæ contra illos exercuerunt, qui ab hac ſana doctrinæ forma recedere volebant, ut, Leydæ contra Coolhaſium ante annos 50, Vltrajecti adverſus Blockhovium,

Goudæ

Goudæ adverſus Hermannum Herberti, Hornæ contra Cornelium Wiggardi, & alios; ad quorum Cenſuram ac condemnationem Wtenbogardus quoque inter cæteros interdum fuit adhibitus. At poſt iſta, demum Remonſtrantes nonniſi de mutua tolerantia loqui cœperunt, eamque urgere. Verumenimvero quocumque demum modo Remonſtrantes rem eam accipiant ac pro ſuo libitu incruſtent, quamdiu in ſuis calumniis ac doctrinis Heterodoxis contumaciter perſiſtent, fieri non poterit, ut Eccleſiæ reformatæ hic, aut alibi, Eccleſiaſticam cum illis communionem renovent, multo minus ut ex eadem cathedra cum illis doceamus. Illud etenim evidenti Dei verbo omniumque Eccleſiarum Orthodoxarum exemplis, tam antiquis, quam recentibus, omnino repugnaret. Qua aſſertione noſtram hanc appendicem concludimus, ad ampliorem ejus probationem parati, cum id à nobis exigetur, aut occaſio ſeſe offeret.

FINIS.

